Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1637

Quelle:
Copyright:

tum diſtat; nam dum illud in *Jeſu* inter Doctores invento definit, nobis *Jacobus* a morſu viperae ſanatus, et haec verba extrema ſunt: *et quando ibeſus dormiebat ſiue in die ſiue in nocte claritas dei reſplendebat ſuper eum amen Deo gratias.* Fabulae.

VI. *fol.* 115. *Summa*, ut e calce praeoccupo, *obuencionum in quibus dyoceſani et metropolitani eccleſiarum regni anglie tenentur eccleſie romane.* Praeit ſequens Epiſtola: *Gregorius epiſcopus ſeruus ſeruorum dei venerabilibus fratribus cantuar. et ebroic.* (Eborac.) *archiepiſcopis et eorum ſuffraganeis et dilectis filijs abbatibus prioribus archidiaconis eorumque officialibus per regnum anglie conſtitutis ad quos iſte litere peruenerint ſalutem et apoſtolicam benedictionem. Qualiter denarius beati petri qui debetur camere noſtre colligatur in anglia et in quibus epiſcopatibus uel dioceſibus debeatur ne ſuper hoc dubitari contingat preſentibus fecimus annotari ſicut in regiſtro ſedis apoſtolice continetur.* Sequitur itaque Taxa XV. Epiſcopatuum ſaepius, et vel in *J. J. Hofmanni Lexico Univ.* v. *Romaſcot* impreſſa, et ſubſcriptum: *Datum apud vrbem veterem. 10. kal. maij pontificatus noſtri anno ſecundo. Summa 200. lib.* (Sterlingor.) *6. Shel. 8. denar.* En Summam illam ingentem, multarum declamationum argumentum, quae ad aeris noſtri *Rhenenſes* ne quidem 2000. aſcendat. Ad quem vero *Gregorium* Epiſtolam hanc referemus? Ad *Septimum* putem; quamvis enim in ejus *Regiſtro* **T. XII.** *Collect. Concill. Venet.* non compareat, ſcripſit tamen ille II. *Non. Apr.* anno ſuo primo exeunte ad *Guilelmum Angliae* Regem in haec verba: *Rebus vero ſancti Petri, quae in Anglia colliguntur, ſic te, ut tuis, invigilare admonemus*, et dies datae noſtrae Epiſtolae fuit prima anni ejus ſecundi ineuntis, ut adeo inter has duas Epiſtolas non niſi 17. dies interceſſerint.

VII. *fol.* 116. *Incipit liber de tranſitu beatiſſime virginis marie et eſt apocriphus.* Bene cautum a Librario; jam enim in *Decreto Gelaſii* Commentum iſtud confixum eſt, quamvis nobis audacter proloquatur: *Que ab apoſtolo Johanne didicimus et intelleximus ſcribimus. Poſt commendationem beate uirginis factam iohanni in cruce* &c. Extat in variis Bibliothecis, et etiam, ut habes apud *Lambecium* L. IV. p. 131. in Palatina noſtra graece Κοιμησις της υπεραγιας Δεσποινης ημων Θεοτοκου Μαριας, ad quam latina iſthaec Narratio concinnata eſt. Confer de ea, ſi lubet, *Fabricii Codicem Apocryphum N. T.* p. 60. et 352. et P. III. p. 533.

VIII. *fol.* 177. Sequitur Conſilium quoddam, ſive Regimen Epidemiae tempore obſervandum, cujus *Prohemium* incipit: *In chriſti nomine. Amen. Conuenerunt quidam modernorum medicorum cum ſapientibus aſtrologis, et currentem epidimiam ad celeſtes cauſas diuerſis reſpectibus reduxerunt.* Enumeratis his *reſpectibus* definit